

1194 octubre. Girona

ENFRANQUIMENT atorgat pel rei Alfons I el Cast, a favor dels habitants de Girona, on els declara lliures d'eixorquia i fixa els límits territorials d'aplicació d'aquesta exempció.

- A. AHCG. Pergamí núm. 1.
- B. AHCG. *Llibre Vermell*, f. 1-2.
- C. AHCG. Manuals d'Acords, 1476.¹
- a. F. VALLS I TABERNER, «Els antics privilegis de Girona i altres fonts documentals de la compilació consuetudinària gironina de Tomàs Mieres» a *Estudis Universitaris Catalans* (Barcelona), XIII (1928), p. 186 i següents.
- b. F. VALLS I TABERNER, «Els antics privilegis de Girona i altres fonts documentals de la compilació consuetudinària gironina de Tomàs Mieres» a *Anales del Instituto de Estudios Gerundenses* (Girona), XVII (1964-65), p. 126-128.
- c. L. BATLLE I PRATS, «Alfonso II en los cartularios de Gerona» a *VI Congreso de Historia de la Corona de Aragón*, Barcelona, 1962, v. II, p. 168-169.

Concessió dels límits de la ciutat dins los quals los habitants en aquella fossen franchs de exorquia.

Quoniam sub piis consuetudinibus et libertatibus gaudet populus constitutus, accrescit et multiplicatur, gaudet etiam ipse Deus, ego Ildefonsus, Dei gratia rex Aragonensis, comes Barchinonensis, marchio Provincie, respectu divini amoris et ob remissionem omnium peccatorum meorum ac gracia, et precibus populi civitatis Gerunde et suburbii, gratuito corde et animo concedo /1v/ et laudo hanc franchitatem et ingenuitatem eidem universo populo, habitanti nunc et habitatur⁴ ab ipso loco quod nuncupatur za kaderita superiori usque ad mansum Berengarii de Plano, et ab ipsa turre superiori Gerundelle usque ad fontem de Pedreto et inde usque ad Figuerolas, quod numquam de cetero a me vel a successoribus meis requiratur ab eis vel a successoribus eorum exorchiam vel aliud aliquod voce vel occasione exorquie aut sterilitatis ex illis omnibus que petierunt et que futura existunt. Excipimus autem inde omnes illos, tam viros quam mulieres, qui infra predictorum locorum spacia, videlicet in alodium Sancti Petri de Gallicantu, morantur. Hoc autem affranquimentum et donum concedo, laudo et confirmo per me et successores meos ac per omnem personam prelibato populo et successoribus eorum, masculis et feminis, sine ullo retentu, sine fraude et omni dolo et, sicut melius dici et intelligi potest, ad eorum plenissimum comodum per secula cuncta. Ut autem certo certius noscatur nos prefatam exorchiam tota mente et sincera voluntate penitus remittere, et in irritum perpetuo reducere, ac posteris nostris perpetuum inde ponere silencium, dominum Gregorium, venerabilem ecclesie sancti Angeli diaconum cardinalem, Apostolice Sedis legatum, tanquam patrem et amicum in Domino, rogamus et ortamur attentius, quatenus auctoritate domini pape et sua prelibatam exorchie franchitatem perpetuo duraturam protegendam suscipiat ac propria manu subscribendo firmet et confirmet. Adicientes etiam quod, si quis, quod avertat Deus, successorum nostrorum vel aliquis alius contraferet, iram Regis Eterni incurrat, imminente etiam in pena tali quod excomunicacione Romane Ecclesie constante subiaceat, ac etiam perpetuo anathematis⁵ vinculo innodetur. Sub eademque pena statuentes eos qui ausi essent, quod non credimus, infringere vel invadere donationem et franchitatem, quam sepedicto populo concessimus olim, in eo videlicet casu quo forte ab intestato descedunt.

+ Ego Gregorius, Dei gratia sancti Angeli diaconus cardinalis, Apostolice Sedis legatus, subscribo et confirmo et auctoritate apostolica, qua fungimur, omnes contradictores excomunico.

Acta apud Gerundam, mense octobris, anno Domini millesimo C^o LXXXX^o III^o.

Signum + Ildefonsi, regis Aragonum, comitis Barchinone, marchionis Provincie, qui etiam omnes franchitates et bonas consuetudines, quas predecessores mei et ego concessimus eidem populo Gerundensi, cum hac simul franquitate predicta laudo et confirmo, et super omnia et in omnibus predictam franchitatem exorquie, quod nulla unquam persona in hoc quicquam ausa sit demandare vel reppetere vel quequam inde respondere in eternum.

Sig+num Dalmacii de Crexello. Sig+num Dalmacii de Palaciolo. Sig+num Raimundi de Rochabertin. Sig+num Bernardi de Gerundella. Sig+num Perella.

(*Signe*) Berengarius de Albuciano, iudex ordinarius, sig+num.

Sig+ (*signe*) num Raimundi, per Dei gratiam Gerundensis episcopi.

(*Signe*) Bernardus de Gerundella sig+num. /2/

Raimundus⁶ de Calidis, Barchinonensis decanus (*signe*).

(*Signe*) Petrus, Ausonensis sacrista et iudex.

Est autem sciendum quod pro his supradictis franchitatibus et donacionibus habui ego rex VIII milia solidos, valente marcha argenti XLVIII solidos Barchinone.

Ego Guillelmus de Bassia, notarius domini regis, scripsi hanc cartam eiusdem mandato et feci hoc sig- (*signe*) num.

Bernardus Stephani, qui hoc anno Domini millesimo C^o XC VII^o, V^o ydus ianuarii, fideliter traslatavit cum literis sriptis in V^a linea. (*signe*)

(*Signe*) Ermengaudus, presbiter et publicus scriptor Gerunde, subscribo.

1. En el pergami que serveix de coberta de l'esmentat Manual d'Acords hi ha una còpia d'aquest trasllat. 2. II escrit al marge esquerre. 3. Ildefonsus rex Aragon, escrit al marge superior. 4. habituturo per habitaturo. 5. anethematis per anathematis. 6. Ildefonsus rex escrit al marge superior.